

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Ira a  
cum fonte primo

Ira est, quantum me fert opinio,  
turbulentus appetitus auferendi ea que  
facilitatem actionis impediunt. Id circa  
plerumque non hominibus tantum sed  
calamo irascimur in scribendo, eumque  
collidimus atque frangimus, et alleatores  
tesseris et pictores pennicello, et cuique  
instrumento quilibet, ex quo  
difficultatem se pati arbitratur. Hac  
autem assiduitate irascendi fel crescere  
eciam medici affirmant, cremento  
autem fellis rursus et facile et  
prope nullis causis existentibus  
irascimur.

Augustinus in epistola ad Nebridium.

Ira est autem, quantum mea fert opinio,  
turbulentus appetitus auferendi ea quae  
facilitatem actionis impediunt. Itaque  
plerumque non hominibus tantum, sed  
calamo irascimur in scribendo eumque  
collidimus atque frangimus, et aleatores  
tesseris et pictores penicillo et cuique  
instrumento quilibet, ex quo  
difficultatem se pati arbitratur. Hac  
autem assiduitate irascendi fel crescere  
etiam medici affirmant, incremento  
autem fellis rursus effici, ut facile ac  
prope nullis causis exsistentibus  
irascamur.

Augustinus Hipponensis, *Epistulae*, 9, 4  
(CCSL 31, p.22, ll.47-55).